



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

5. Dies Maii. Non faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali
amores. August. Epist. 52.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

5. DIES MAII.

Non faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores. *August. Epist. 52.*

Amor sui. I.

Magna est scientia, scire amare amabilia. Non ideo aliquid æstimabile, quia amatur, sed quia est dignum amari. Tales erunt tui mores, imò & tu, qualis est tuus amor. Non potes esse bonus, si amor tuus sit malus: malè amas si te nimium amas. Nunquam eris tuus, si malè fueris amans tui. Amor proprius non tantum est hostis tuus capitalis, sed omnium tuorum hostium caput. Debes à te exire odio tui, ut possis ad Deum venire ejus amore. Tanto cursor est vicinior metæ, quanto distat magis à prima linea: sic eò fies Deo vicinior, quò à te remotior. Molestius ferimus ab amico lædi, qui nullo modo debueras læsisse. Ægerrimè patimus lædi corpus ab hoste, ægrius ab amico, à quo expectabas injurias propulsandas potius quàm inferendas; cur patienter sustines lædi à te animam? Pudor est mala agere, molestia pati: utraque hæc miseria in nos redundat, & quid mirum è nobis exundat: nobis mala facimus, & à nobis mala patimur: sumus nobis miseri & simul in nos immisericordes, in nos violenti, & à nobis violati, superbi & viles. Quid igitur non deberes facere adversum te, cum nullus magis quàm tu ipse tibi adverteris.

III. Illud est in confesso, plus te debere irasci tibi, quàm cunctis hostibus tuis. Imò non tantùm tibi es hostis, sed carnifex. Tui ipsius es ferocissimus tortor nisi tui fueris osor. Mundus, & qui in mundo sunt homines; orcus, & qui in orco sunt dæmones, sunt contra te & hostes tui; sed illi omnes sunt inermes, nisi ego subministrem illis, quibus me oppugnent arma. Omnes sunt innocentes, nisi ipse mihi noceam. In mea est manu evadere omnium hostium manus. In mea est potestate, efficere ut nullus mihi nocere possit. Ego sum omnium malorum quæ alius imputo, faber. Ego resisto Dei beneficentiæ, impedio effecta donorum ejus, inficio ipsius gratias, corrumpo virtutes. Quoties mihi imposui, quot culpas contraxi? Jus ad cælum mihi abstuli. Gratia vires enervavi, occasiones augendæ gratiæ socorditer neglexi: quot tædia cordis, quot afflictiones mentis, quot infortunia rerum, quot damna temporis, quot morbos corporis, quot despectiones, quot convitia conciliavi mihi, lenocinando corruptæ naturæ, assentando cupiditati, indulgendo genio. Si quis justa ex causa inferat tristitiam, interpretor injuriam, & irascor illi, ut mihi injurio? Cur mihi non irascor cùm me injustissimè, & tamen gravissimè lædam? Si semel deprehendisses aliquem mentiri, nunquam fideres, & tibi ipsi toties mentitus, à te deceptus, & læsus, adhuc tibi confidis, nec te in omnibus habes suspectum.

III. Deberem me insigniter odisse, & atrociter execrari, quia mihi fui execrabilis, & in me sceleratus: quantò magis quia fui sceleratus in Deum? Propter me debeo odisse me, quantò æquiùs, propter Deum?

Deum? Quia me non justè amavi, decebat me odif-
 se, & horrere: quantò magis, quia nullo modo te
 amavi, quia solus es amabilis, & solus debes amari.
 Ideò non amavi te, quia non novi rectè amare me,
 imò non amavi me, quia non amavi, quod ego reve-
 ra eram, sed aliud minus. Non amavi animam, quod
 præcipuè sum, sed solum corpus, quasi solum essem
 corpus, quod non sum. Ut amarem partem mei, non
 amavi me totum, & quod sceleratius, non amavi id
 quod mihi est totum, Deum. Non quæras causam tui
 in te odii, sufficit te etiam uno momento non ama-
 se Deum, ut tota te æternitate oderis. Graviter sto-
 macharis, & excandescis, dum audis, vel legis, mali-
 gnitatem Caiphæ, perfidiam Judæ, & vel ipsa illorum
 abominaris nomina, cur in te es blandus? Age mò-
 dò, nonne te judicas peccatorum omnium primum,
 & maximum? Imò nihil facis, cùm S. Paulus talem
 se judicavit; quare perverissimum omnium creatu-
 rarum te debes censere. Si te pessimum existimas, &
 verè talem te æstimas, ergò pejorem quàm Judam,
 aut Caipham, & quemvis alium. Si igitur pejorem
 te judicas, cur non ut illos, sic & te abominaris, odio
 persequeris, abhorres? Vide nunc, an peccatum Judæ
 mereatur, sed quid dicam? non erravit Poëta dum
 scripsit:

Quamvis fœdatur, cuius placet id quod amatur.

* * *

* *